



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Analysis Methodica Ivris Pontificii

Venator, Daniel

[S.I.], 1579

VD16 V 541

De Sacra Vnctione. Titulus XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63204](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63204)

104 ANALYS. IURIS PONTIFICII
DE SACRA VNCTIONE.

Titulus XV.

Continuatio.

QVidam Prælati, antequam ea, quæ dignitatis sunt, exerceant, cum quadam solennium obseruatione sacra deliniūtur vñctio-ne, vt hoc in signum adeptæ gratiæ rectius officio iniuncto fungi possint.

Quid est sacra Vnctio?

Sacra vñctio est, visibile signum interius infusæ gratiæ, qua Deus cor mentisq[ue] synceritatem ad ministeria & officia, secundum cuiusque vocationem, summo cum pietatis & charitatis feroore, administranda delinit, c. i. §. per oleum, extr. de sacra Vnctione,

*Quotuplex est sacra Vnctio? &
quid exterior?*

Duplex sacra vñctio, exterior, & interior. Exterior est, materialis & visibilis, quæ corpus inungit, illiusq[ue] interioris significatiua, c. i. extr. eod.

Quid interior?

Interior est, spiritualis & inuisibilis, qua cor ad nitorem conscientiæ conseruandum & augendum, diuinamq[ue] adipiscendam gratiam vngitur, d. c. i. §. scire te, extr. eod. Sunt & aliæ vñctiones,

Etiones, quibus Episcopi, vel clericis utuntur in conferendis Ordinibus, Baptismate, Chrismate, consecrandis altaribus, dedicandis templis, benedicendis calicibus, quin & Imperator Romanus in brachio, seu in humero vel harmo, non autem in capite (ut olim) vngitur, d.c. i. §. refert, & §. quia vero, & §. vngitur, extr.eod.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens interiorisunctionis est, Deus ipse: exterioris, Episcopus, vel presbyter, vel ali-us, vngendi potestatem habens,

Quæ Materia?

Materia, ex qua est, dicitur esse Chrisma, quod conficitur ex oleo & balsamo. Manus enim in unguntur oleo pietatis, caput autem balsamo charitatis, d.c. i. § per caput. extr.eod.

Quod Obiectum?

Obiectum est, corpus, & animus eius, qui ad dignitatem euhitur, & vngitur.

Quæ Forma?

Forma exprimitur illa solenni verborum conceptione: quibus Episcopus vel presbyter in vngendo utitur, & legitur de his, 23. dist. c. Episcopus, 75. dist. c. i. in eod. vsque ad §. vnde in veteri. Qualiter autem clericis ordinentur, legitur 23. dist. c. presbyter, & c. sequent. vsque ad c. psalmista, & not. supr. de tempo. ord. §. & à quo, &, §. & qualiter, per Host.

G 5

Quis

Quis Finis & Effectus?

Finis & effectus est, auctio gratiæ diuinæ, ad exequendum rectius ea, quæ cuiusque ordinatio, dignitas, & conditio requirit, c. Episcopi, §. quæliter, extr. de translat. epis. addit Alphonsus in suo thesauro Christ. relig. adhuc 7. effectus. 2. effectus est, consolidatio spiritualis debilitatis per peccatum inductæ. 3. sanitas corporalis. 4. remissio peccati venialis & mortalís. 5. diminutio pœnæ peccato mortali debitæ. 6. interior lætitia. 7. arctatio diabolicæ potestatis. 8. protestatio decedentis, quarum explicationem apud Alphonsum, tit. hoc, vide.

DE SACRAMENTIS NON
iterandis.*Titulus XVI.*

Continuatio.

Si quid in Ordine prætermissum sit, non de nouo instituenda est ordinatio: sed, quod ad fieri possit, cautè supplebitur id, quod per er torem, vel incautè neglectum est, c. i. &, c. presby ter, extr. eod. Rationem quære, in c. i. quæst. 1. &, c. sacramenta, &, c. manus. Nisi omnino contra formam Ecclesiæ ordinatio fuerit facta, arg. 12. quæst. 2. c. sine exceptione, 35. [quæst. 5. c. alter.]

DE